

nobis exhibuit. Nouæ tabulæ Astronomica forma Alphonsina & Copernici, quæ exhibent emendatum calculum motuum cælestium omnium congruentem, cū observationibus, tum priscis, tum recentibus, Id quod nec Ptolomaicæ tabulæ præstant, nec Alphonsinæ, nec vlla ex ijs propagatæ. Tabulæ resolutæ ex prioribus deriuatæ, ex quibus facilima fit supputatio motuum cælestium. His insertæ sunt tabulæ Eclipsium, quæ suppeditant verum calculum omnium deliquorum Solis & Lunæ retrò ad 3000. annorum. Tabularum directionum, vt vocant, generalium primus liber, cum secundo libro particularium tabularum. Ephemerides singulorum annorum aliquot futurorum calculatæ ex his recentibus tabulis. Tabulæ ortuum & occasuum plurimarum stellarum fixarum, tum ad veterum varia tempora, tum ad nostra permulta Climata. Chronicon, in quo priori pagina non solum annorum series deducta est varijs initijs, quæ firmissimis rationibus constituta sunt, Verum & Eclipses luminum ad singulos annos, loca trium superiorum Planetarum, & magni congressus Planetarum: Item Meteora, quæ passim in historijs annotata sunt, Reliqua pagina è regione habet historica, tanquam effectus causarum cælestium, distributa in quatuor classes, videlicet, in Physica seu œconomica, Philosophica, Politica, & Ecclesiastica. Calendarium Ecclesiasticum, quod continet ex ipsis fontibus, deductam doctrinam eam de anno & mensibus, quæ traditur in computato Ecclesiastico, quod editum quidem est, sed augebitur. Historia annorum seu Calendarium Astronomicum profuturum doctis, in quo inter cætera illustris est tractatio de anno Egyptiaco & Græco, vnà cum nouis tabulis & eruditis, sine quibus Ptolomæi magna constructio seu Almagestum & similia scripta difficillimè intelliguntur. Isagoge Sphærica seu doctrinæ primi mobilis elementa, quinq; libris comprehensa. Hypotyposes orbium cælestium, quas vulgò vocant Theoricæ Planetarum, congruentes cum tabulis Astronomicis suprâ dictis. Compositio noua Quadrantis cum multis utilissimis tabulis. Doctrina triangulorum planorum & spherorum, ea methodo, quæ Scholarum vsui accommodata est, cum fecundo Canone per singula scrupula extenso, quem licet omnium Astronomicarum tabularum fundamentum appellare. Eruditus Commentarius in totum opus Reuolutionum Nicolai Copernici. Geometrica varia, inter quæ de circuli quadratura, ac erudita confutatio opinionum Orontij & aliorum recentium. Item cōmentarius in quintum & decimum librum Euclidis. Com-